DISSERTATIO JVRIDICA
DE
RENOVATIONE INVESTITVRAE VNIVERSITATIS NOMINE REGVLARITER NON IN CASV MORTIS VNIVS EX PLVRIBVS FEVDI CVRATORIBVS, SED DEMVM CVNCTIS IIS DEFICIENTIBVS, PETENDA

Von Erneuerung des Lehns.

QVAM
PRAESIDE
IO. WILHELMO ENGELBRECHT
ICTO
CODICIS PROFESSORE ORDINARIO COLLEGII
ICTORVM SENIORE
PATRONO SVO AETATEM DEVENERANDO
A. D. XI. APRILIS cIↄ Iↄcc XVI.
IN JVLEO MAJORI
PVBLICE DEFENDENDAM SVSCIPIET
HARTMANN SAMVEL KREBS
HASSO DARMSTADINVS.

WITTEMBERGAE, RECVSA MDCCXLIX.

Biblioteca Nazionale V. E. Napoli
Digitized by Google

Academico quodam nunc ſpecimine vacaturis animus nobis non eſt, varias materiæ in rubro propoſitæ obire partitiones, quin potius thematis loco *quæſtionem* feudalem ſolvere, minimum quadantenus explicare in præſenti allaborabimus, quæ in ipſis rerum obtinet argumentis:

Num ſcilicet, ſi Civitas, aliave Univerſitas, aut Collegium, ratione feudi, quod ab alio habet recognoſcendum, conſtitutos habeat uno plures, v. gr. duos ejusdem feudi Curatores, Lehntráger, *uno eorum mortuo, inveſtituræ renovatio petenda ſit, laudemiumque praſtandum; an vero demum utroque eo curatore defuncto?*

Digitized by Google

§. I.

Rem ſane tractaret notiſſimam, qui anxia evincere niteretur demonſtratione, recipi feudi inveſtituram poſſe etiam per procuratorem. (*a*) Liberius foret otium, ſi in eo quis contereret tempus, mandatum procuratoris, qui ad unum aliquem actum datus eſt, exſpirare protinus, quamprimum id commiſſum ſpeciale negotium fuerit peractum, neque vel aliquod inde procuratori acquiri jus aut ullum ad ipſum redundare lucrum damnumve, ſed omne mandantis eſſe, cui ideo cedere opus habeat ſuas actiones, quique vice verſa ex geſto procuratoris obligetur. (*b*) Vnde nulli difficultati irretitum eſt conſectarium, ſi Vniverſitas ad unicum inveſtiturae recipiendae actum conſtituiſſet procuratorem, quod non minus tunc, atque ſi ſingularis perſona feudi inveſtituram recepiſſet per procuratorem, mandatum ea expetitione videatur extinctum, neque amplius ad procuratorem aliquis, ſed nunc omnis inter dominum & Vaſſallum reſpectus unice ad eum, cujus nomine inveſtituram procurator recepit. (*c*)

§. II.

(*a*) 2. *Feud.* 3. §. 1. verſ. ſed utrum ipſe, ibique *Schenck.* a *Tautenberg. Schurff.* cent. 2. conſil. 65. n. 4. *Fachin.* controverſ. lib. 7. cap. 54. *Setzer.* diſp. *feud.* 6. th. 9. & 16. diſp. 8. th. 5. *Klock.* tom. 4. conſ. 45.

(*b*) V. l. 1. §. 1. ff. de procurator. l. 61. & 68. eod. l. 43. & 45. ff. mandati.

(*c*) Vid. *Schurff.* d. loc.

§. II.

Quamvis itaque in renovatione inveſtituræ toties velint alicubi etiam laudemii præſtationem conſvetudines feudales, quoties in perſona vel domini vel vaſalli contigerit mors *2. feud. 40.* (*a*) ob mortem tamen ejus, qui aliquando ſpeciatim ad petendam procurator fuit inveſtituram, haud opus renovatione habet vel Vniverſitas vel alius quiſpiam, qui eum conſtituerat (*b*) adeoque quoad renovandæ propter curatoris mortem inveſtituræ obligationem nil intereſt, utrum unus, vel plures pro recipienda inveſtitura olim miſſi fuerint procuratores, nec an unus eorum, an cuncti poſt mandati expeditionem demortui?

§. III.

Diverſa plane & huc inpertinens quæſtio eſt, ſi ex pluribus mandatariis ante commiſſi negotii executionem unus deceſſiſſet, an per hoc mandatum cenſeatur extinctum, ut mandans vel ipſe renovationem petere, vel novos procuratores conſtituere habeat neceſſe? qvæ quidem quæſtio diſtinctione venit expedienda, ſcilicet affirmative, ſi vel nominatim collective vel ſimpliciter ambo fuerint conſtituti; negative, ſi quidem ambo, at vel nominatim quilibet in ſolidum, vel per aliam æquipollentem expreſſionem diſtributivam, veluti ſi mandans adje-

 ciſſet,

(*a*) V. *Carpzov.* p. 2. conſt. 39. def. 28. 29. 32.

(*b*) *V. Franzk.* de laudem. c. 8. n. 133. & ſeq. usque 137. item num. 143.

ciſſet, ambobus & utrique eorum, ſeu cuilibet eorum mando. (*a*)

§. IV.

Sed vero in terminis nudi ad certum unice inveſtiturae actum conſtituti mandatarii noſter feudi curator vaſallique ſubſtitutus non ſubſiſtit (*b*) verum ejus mandatum amplius porrigitur & quandam quaſi ad vitam usque continet perpetuitatem, ut vice vaſalli cuncta ipſi incumbant peragenda, quae ipſum alias tenent vaſallum. Non ſaltem inveſtituram recipit, ſed quoqve vi ejus receptionis & contractus cum domino initi in omnibus, quae inter dominum & vaſſallum reſpiciunt obligationem, loco vaſalli & tanquam ſubſtitutus curandum habet feudum, cunctaque ea, quae ejus nomine domino ſunt praeſtanda, veluti fidelitatem, ſervitia, in caſum mortis domini renovationis petitionem &c. (*c*) ſi non plane ipſum dominium utile in eundem videatur (ſcilicet nomine ſui principalis ſeu Vniverſitatis adminiſtrandum) collatum. (*d*)

§. V.

Hanc ampliorem curatoris feudi facultatem & reſpective obligationem exegit natura negotii, ratione ſubjecti quandam diverſitatem ab eo continentis feudali contractu,

(*a*) Vid. l. 47. & 48. ff. de procurator. *Vran.* tom. 2. conſil. 60. n. 13. *Honded.* vol. 1. conſil. 60. n. 37. *Strauch.* lixic. partic jur. voc. quilibet. & voc. uterque.

(*b*) *Frantzk.* d. c. 8. n. 137.

(*c*) *Frantzk.* d. c. 8. n. 141. *Beſold.* p. 2. conſil. 39. n. 15.

(*d*) *Richter.* deciſ. 83. n. 160. 164. 167.

Digitized by Google

ctu, qui inter particulares intercedit perſonas, ad quas ideo duntaxat nudi ad quempiam actum procuratoris, non etiam, ceſſante ratione, feudalis ac certo modo perpetui curatoris quadrat conſtitutio, velut contra olios, utramque conſtitutionem quodammodo habentes indifferenter (*a*) recte animadvertit Franzkius. (*b*) Equidem Civitas, Vniverſitas, Collegium, e numeroſa conſtans multitudine, ne pro expediendo actu, cujus per paucos commodius fieri poſſit executio, totum ubique corpus congregare ſit opus, unum vel paucos eligere conſvevit, quibus expediendorum ſuo nomine ſuaque vice negotiorum incumbat cura. Quod quidem compendii in cauſis præcipue adinvenire feudorum, hasque ad eandem compendioſam conferre viam, ſuæ ipſius utilitatis juſſit conſilium, cum alias ſibi nulla benificii feudalis ſperabilis foret ſalus, omnisque conſequendi feudi ſpes præciſa, nemine facile futuro, qui feudum collaturus ſit in eum, cujus immortalitas nullum relinqueret locum vel unquam feudi recognitioni, vel ejusdem per mortem caducitati. Civitas ſurrogatis in locum decedentium ſubinde aliis, tanquam iisdem, rebusque etiam & juribus remanentibus, haud cenſetur habere hæredem, verum in ſe ipſa vivens nunquam moritur (*c*) donec non aratrum in eam inducatur (*d*) vel ea ſolo æquetur, ac funditus evertatur: donec quoque non fiat perpetuo obnoxia banno, aut Cives communi-

(*a*) *V. Anthon.* diſp. *feud.* 8 th. 7. lit. b.
(*b*) d. c. 8. n. 143. 144. 145.
(*c*) l. 76. ff. de *Judic.*
(*d*) l. 21. ff. quibus mod. uſusfr. amitt.

Digitized by Google

municato conſilio eam penitus deſerant (a) quæ alias, quantumvis magnam in perſonis pateretur cladem, propter jura vel in una adhuc poſſet conſervari perſona. (b) Quamdiu igitur horum nullus extiterit caſus, quem ſane de raro contingenti eſſe nemo non videt, eouſque per mortem vaſalli, ejusque generationis extinctionem haud unquam ſperandam habet dominus feudi caducitatem: aliam quoque ex capite privationis non facile, dum fere ubique Civitati erit integrum ad beneficium convolare in integrum reſtitutionis. Nunquam, utut forſan quandoque mortis inopinato accideret caſus, remanebit occaſio, qua per renovationem inveſtituræ recognoſcatur, aut honoretur dominus, ceu civitate ſuæ mortis caſu penitus terminata neque exiſtente ſucceſſore, niſi aliquando reſtauretur taliter, ut quoque feudi recipiat jura. (c)

§. VI.

Quæ res cum haud levem contra dominos videatur continere iniquitatem *arg. l. feud. 13. verb.* quia nunquam reverſurum ſit ad dominum, Civitatibus etiam, dominis rem acerbe habentibus, nec facile ſua bona tali conditione transferentibus, minus habeatur conducibilis: pedetentim eorum, qui deſiderio cujusdam muti feudalis reſpectus erga ſe æſtuabent invicem, excogitationibus factum eſt, ut de talibus convenirent mediis, quibus utrique parti quadantenus eſſet conſultum, liberiusque non

(c) v. *Nill.* diſp. *feud.* 8. Coroll. 2. lit. a.

(d) l. 7. §. in decurionibus ff. quod cujusque. Vniverſit. nom.

(e) *Niell.* d. loc. add. arg. l. 6. ff. de annuis legat. item *Höping.* conſil. 2. in ration. decidend. ſecund. cap. verſ. ſecundo & verſ. eademque ſemper & ſeq.

Digitized by Google

non minus Vniverſitatibus, quam aliis, quæſitum feudorum commertium. Quibusdam placuit, cariori feuda comparare pretio, aut in prima ſtatim inveſtitura haud ſpernendam anticipare pecuniæ ſummam, & per quandam quaſi averſionem compenſare lucra ob Civitatis immortalitatem in poſterum ceſſantia. Aliis æmulari Cajum ICtum *in L. 56. ff. de uſufr.* convenientibus viſum, qui ideo de certo pacti ſunt tempore, ut toties, quoties id lapſum foret, renovatio fieret inveſtituræ. (*a*) Vſitatior & receptior modus eſt, ubi convenerit de conſtituendo feudi Curatore, Lehnträger, in ea ampliori forma, velut dictum eſt *ſuperius* §. 4. & *ſeq.* quam conſtitutionem inſuper videtur quandoque ſuadere ipſa natura feudi, ſi inde ſervitia deberentur individua; at huic neceſſitati, ſi aliæ ſupra dictæ ceſſarent rationes æque conſuleretur per nudi ad eorundem præſtatonem procuratoris conſtitutionem.

§. VII.

Vtut vero non defuerint, qui talem ſubſtitutum cum nudo aliquo ad certum actum mandatario habuerunt indifferenter, ut nec ejus ſubſtituti mors locum faceret renovationi inveſtituræ (*b*) pro ratione tamen ejus, quæ inter utrumque intercedit, differentiæ, magis eſt, ut in perſona talis ſubſtituti ipſa quodammodo mutari videatur univerſitas (*c*) adeoque quoad effectum renovationis inveſti-

B

(*a*) *Niell.* d. Corall. 2. lit. a. verſ. uſusfructus Civitati. *Strur.* Syntagm. *feud.* c. 10. aphor. 3. n. 3.

(*b*) *V. Franzk.* d. c. 8. n. 145.

(*c*) *V. Franzk.* d. c. 8. n. 140.

Digitized by Google

veſtituræ non ad mortem ejus, qui forſan communionii præeſt, antiſtitis aut prælati, verum ad caſum ſcilicet mortis naturalis, aut civilis, (non alterius cujusvis in dignitate mutationis *v. Richter deciſ. 83. num. 168. 169.*) in perſona curatoris feudi contingentem reſpiciendum eſſe, ac tempus petendæ intra annum & diem inveſtituræ a morte currere ſubſtituti, ita, ut ejusdem ſucceſſor, ſi renovationem petere negligat, ad tempus ſuæ vitæ, vel adminiſtrationis privetur eo Vniverſitatis feudo *2. f. 40. §. item ſi clericus*, Feltman *de titul. honor. l. 1 c. 45. §. 3.* (*a*) *ubi allegat exemplum Civitatis Gröningenſis, feuda quedam per conſtitutum e ſenatu curatorem recognoſcentis.* Neque eſt, ut quoad privationem feudi ob omiſſam a ſubſtituti ſucceſſore petitionem renovationis, inpertinenter videatur provocatum ad *2. feud. 40. §. item ſi clericus*, quaſi ibi non feudum Eccleſiæ, ſed officium ac honorificus titulus intelligatur Antiſtitis *v. Struv. Synt. feud i. 3. aphor. 4. n. 1. verſ. neque obſtat.* (*b*) Præterquam enim quod in ipſa, quam Struvius tractat, alia cauſa, alii ſentiant aliter, dictumque textum, ceu qui etiam inter conſvetudines relatus ſit feutales, omnino de feudo accipiant, ſaltem hoc munus minus proprie eccleſiaſticum appellitari autumantes (*c*) in noſtro ſane caſu, ipſemet Stru-

(*a*) *2. Hartm.* Piſt. lit. 2. tit. 54. obſ. 14. *Gothofr. Anton.* diſp. *feud.* 8. th. 7. lit. b. *Franzk.* de laudem. d. c. 8. n. 139. *Beſold.* p. 2. conſil. 39. n. 16. *Struv.* a aphor. 3. n. 3.

(*b*) *Bayer.* ad *Schnobel.* diſp. *feud.* 2. th. 13. verb. in eccleſiaſtica.

(*c*) *V. Schnobel.* d. th. 13.

Digitized by Google

Struvius pro fundamenda a ſua noſtra nil recedente ſententia expreſſe in citato refugium quærit textu. (a)

§. VIII.

Cæterum id, quod ultimo loco, videlicet §. 6. traditum eſt, invendum, ſatis æquiparem ex utraque parte continet æquitatem, ſi communitas non foret adeo ampla, et vel potius quædam privata plurimum particularium perſonarum facilius diſſolubilis ſocietas, quam aliquod publica nitens autoritate perpetuum corpus, ſeu Collegium, quod v. gr. civitatem pagum, monaſterium &c. conſtituat: veluti ſi plures de feudo ſimultanee inveſtiti, aut etiam plures defuncti vaſalli ſucceſſores & in feudo cohæredes, id doſſiderent in communione pro indiviſo. Quamvis enim ſtricto jure hi omnes ſint obligati ad præſtandum domino fidelitatem, ſervitia, aliaque cuncta, quae ex natura feudi debentur tamen non minus in his, quam in Civitatibus aliisque corporibus ad perpetuitatem publice conſtitutis, quas quæve ſtricto jure eadem tenet obligatio, æquitatis militat cauſa, ut citra neceſſitatem non multiplicentur juramenta, ut etiam jus recognitionis in mediam inter utramque partem redigatur viam, ideoque parili modo ejusmodi Ganerbiis & ſimultanee inveſtitis competere coëpit facultas quempiam, plerumque ſeniorem, ex ſuo gremio eligendi, qui vice omnium feudum recognoſcat, præſtetque fidelitatem & ſervitia, atque ex cujus perſona caſibusque in ea contingentibus jus recognitionis veniat æſtiman-

(a) V. ejusd. *Synt. feud.* c. 15. aphor. 15. n. 6.

mandum; Imo nonnunquam pro natura feudi, ſi ſervitia inde præſtanda forent individua, neceſſitate quadam ad conſtrutionem convolandum fuiſſe videtur ſubſtituti, quae vero unice ratio, ſi aliæ deeſſent, nobis non tantopere foret curæ *v. ſupra §. 6. in fin.* & ergo prægnantioribus malumus inſiſtere argumentis modo ſupra explicatis, unde ad rem ipſam maxime videntur pertinere ſequentes conſvetudinum feudalium textus ac Doctores, ſcilicet *II. F. 26. §. omnes filii II. F. 55. §. firmiter I. verſ. Praterea II. F.* 77. (inter quos textus nulla eſt pugnantia, ſi dixeris omnes jurare, at quodam quaſi repræſentationis jure, ſaltem ratione unius rei indiviſæ, ut ſic omnium juramentum habeatur quaſi in locum unius, una in univerſum fidelitas: at in feudo diviſo plures jurare ratione rerum quæ nunc per diviſionem a ſe invicem ſunt diverſæ, ut ideo tot cenſeantur fidelitates quot nunc diverſa feuda.) (*a*)

§. IX.

Sane æquiſſima ratione obvium itum eſt juramentorum multiplicationi, cum dominus nihilominus in juramento unius

(*a*) Add. jac. de *S. Georg.* de *feud.* §. qui quidem inveſtiti n. 22. 23. fol. 191. *Nicll.* diſp. feud. 7. th. 4. lit. a & b. *Schenck.* a *Tautenberg.* lib. 3. feud. tit. 4. d. §. omnes filii a n. 1. usque 7. incluſive. *Setzer.* diſp. feud. 8. th. 4. 5. *Facbin.* controverſ. lib. 7. c. 54. *Wurmſer.* lib. 1. tit. 51. obſ. 35. *Hartm. Hartman.* lib. 2. tit. 54. obſ. 19. n. 2. *Mynſinger* cent. 5. obſ. 9. n. 10. &. 11. *Franzk.* d. c. 8. n. 142. *Richter* deciſ. 83. n. 158. & ſeq. *Struv. Synt feud.* c. 10. ap. 3. n. 1. & 2. *Schnobel.* diſp. feud. 8. th. 9. jung. §. 33. infra.

Digitized by Google

unius, vice omnium, ratione ejusdem rei praeſtito, cunctos habeat devinctos, nec ſi in hoc deceat quicquam: Perinde is merito habet, ſi debita ſibi ſervitia feudalia in eadem praeſtentur quantitate, & qualitate per unum, atque ſi omnes præſtitiſſent eadem non viritim, ſed junctim in eum antiquum modum, in quem ſervierat defunctus, cujus perſonam nunc omnes repræſentant indiviſim.(*a*) Haud magnam queri poſſunt injuriam Ganerbii & ſimultanee inveſtiti, utut curatoris conſtitutione recognitionis jus ad vitam unius laxetur hominis, qui alias, quod dominus plures indiviſim inveſtiendo haud aliam videatur habuiſſe intentionem, ſingulique pro indiviſo inveſtiti in qualibet parte jam ante ſint condomini ac inveſtitura comprehenſi, propter cauſam in unius vel alterius cohæredis aut coinveſtiti perſona contingentem uulla opus habuiſſent inveſtituræ renovatione laudemiique præſtatione (*b*) quippe domino hanc viciſſim pro ſe habente æquitatem, dum illi reſpectu feudi indiviſim communis reputari volunt, quatenus ſua attinet in anguſtandis præſtationibus commoda, pro una perſona *Vid.* §. 8. *in fin.* & §. 9. *pr. b.* quod parili ratione deceat, non eo diſtendere jura domini, donec omnes mortem paſſi fuerint Ganerbii, verum tale adhibere temperamentum, quo hi æque in onere videantur una eſſe perſona, atque ſic damnum, ſi quod ſit, cum lucro componendo ſatis congruum

(*a*) Vid. 2. F. 77. *Schenck.* a *Tautenberg.* d. loc. n. 1. & 4.

(*b*) *V. Carpzov.* p. 2. conſt. 39. def. 24. *Richter.* vol. 1. p. 3. conſil. 14. n. 29. *Struv.* ſyntagm. feud. cap. 10. aphor. 3. n. 2.

Digitized by Google

gruum evadat æquilibrium. Quod qvidem fere æquipondium in hoc non adeo numeroſæ ſocietatis caſu eo facilius poterit perferri, quo magis, atque in populoſa civitate, propinqua tam ſubinde recognitionis quam caducitatis ſpes utroque caſu remanſit domino. Quæ cum pene nulla futura ſit in feudis, Civitati aliique populoſæ Vniverſitati collatis, atque adeo huic multo potentius plusque perenne conſtitutum jus *vid. ſupra* §. 5. *in fin.* abnegari magnum vix poterit ſuperpondium in ea compenſatione, qua ratione praeſtandi juramenti & ſervitii non quicquam in re ipſa, ſaltem faciliorem modum, per curatoris ſubordinationem lucraretur civitas; at e contrario ſuam a recognitione feudi perpetuam exemptionem tantopere cerneret ad unius hominis caſum demutilatam, ut nequicquam ſibi ſit prærogativæ præ particulari aliquod feudum tenente perſona.

§. X.

Quamvis autem hæc ipſa damni præponderatio videatur poſſe defendi, quod civitas collective ſumpta ſit pro una perſona (*a*) cum tamen hoc de civitate, tanquam quodam univerſali, non dicatur proprie, nec ergo ubivis per omnia, ſed improprie per fictionem & diſpoſitionem juris quoad ſaltem jura, civitatem tanquam aliquod Vniverſum reſpicientia, atque ſic quoad certos in quibusdam caſibus effectus, ubi ſcilicet eſſe queat pro tali ſignificatione aliqua propter contrahentium tacitam voluntatem

(*a*) V. l. 7. §. Siquidem & §. in decurionibus ff. quod cujusque univerſit. nom. l. 22. ff. de fidejuſſ. l. 2. ff. de reb. dub.

tem aliam ve æquitatem præſumptio (*a*) facile apparet, civitatem quidem ex æquitatis & præſumtæ contrahentium voluntatis ſvaſione habendam eſſe tanquam unam perſonam quoad præſtationem fidelitatis ac ſervitii ſibi ratione feudi incumbentis, ceu quia in eo conſpiciatur facilioris præſtationis emolumentum, nequicquam domino diſpendioſum *vid. ſupra* §. *9. in pr.* at neutiquam eam deprehendi vel æquitatem vel contrahentium mutuam voluntatem, ſi morte unius civis tota fingeretur civitas obiiſſe diem, indeque obligata toties recognoſcere feudum, quoties unum alterumve Civitatis membrum per mortem eſſet ſublatum. (*b*)

§. XI.

Potius, quoad hanc cauſam ob æquitatis & præſumtæ voluntatis congruentiam invertendum eſt argumentum, ut civitas in ſenſu collectivo habeatur pro una perſona ad eum effectum, ne videatur unius vel alterus vel etiam plurimum morte aut abſceſſu, ſed demum omnium eorum, quibus id univerſum collectivum conſtabat, totali interitu deleta, cum alias vel in una adhuc reliqua perſona civitas ejusque jura conſerventur. (*c*) Vnde vel ipſe feudi haud inficiari poterit dominus, utut cum aliis

(*a*) *V. Barboſ.* & *Tabor.* loc. comm. l. 19. c. 38. axiom. 2. *Hoping.* conſil. 2. in rat. dubit. prim. cap. verſ. quinto it. in refutat. rat. dubit. verſ. Ad. quintam dubitandi rationem.

(*b*) Confer *Bartol.* ad l. 1. §. Municipes ff, de acquir. poſſ

(*c*) *V. Bartol.* d. loc. add. ſupra §. 5. in med.

Digitized by Google

aliis feudatariæ civitatis in ſubſtitutione commoditatibus etiam hæc in æquilibrium appenderetur, quo minus a collatione beneficiorum in Civitatem terreantur domini *vid. ſupr. §. 6. in pr.* tamen adhuc ex parte civitatis præponderari lucrum damno.

§. XII.

Quæ ſane nimia inæqualitas occaſionem miniſtravit perſpicacioris ingenii Civitatibus, ut magis mediam ingrediendo viam, didicerint quidem de ſuo jure, ne ſe ipſas ab omni benaficiorum feudalium excluderent collatione, quadantenus remittere, at cum ſatis ingenioſa cautela, ne ſua cum particularis perſonæ vita penitus eadem quoad feudi recognitionem libretur menſura, ſed ut potius inter eam, qua civitas beata eſt, vitæ perennitatem, ejusdemque in ſingulari perſona brevitatem, conſtituatur aliquod ſi non medium ſaltem propinquius temperamentum. Nimirum quædam civitetes uno plures conſtitutos habent feudi curatores, ex quo ſubtili invento poſtmodum ſuborta quæſtio, num uno eorum defuncto inveſtituræ renovatio ſit neceſſaria, laudemiique præſtatio; an vero demum ubi illi cuncti fuerint pemortui?

§. XIII.

Prius poſſet videri aſſerendum eſſe ex ſequentibus argumentis (1) quia dictiones AMBO, DVO, VTERQVE, PLVRES, tam diſtributivam quam collectivam habent ſignificationem, ut poſſint quoque verificari in uno numerusque pluralis reſolvi in ſingularem (*a*) (2)

(*a*) V. l. ult. §. penult. ff. de legat. 2. l. 57. § 1. l. 78. §. 7. ff. ad *SCtum Trebell.* l. 33. §. fin. ff. de condit. & demonſtrat.

Digitized by Google

(2) quia ea eſt feudi natura, ut mortuo domino vel vaſallo ſit renovandum *v. ſupr.* §. *2.* & vero curator feudi habetur, etiam quoad ipſam illam feudi recognitionem, pro vaſallo *v. ſupr.* §. *4. in fin.* §. *5. pr.* §. *6. in fin.* & §. *7. in pr.* (3) quia per mortem unius ex duobus vel pluribus procuratoribus, ſi non quilibet in ſolidum nominatim, aut ſaltem per verba diſtributivæ conſtitutioni æquipollentia, fuerit conſtitutus, penitus extinctum videtur mandatum, ita ut ſolus ſuperſtes id officii haud amplius queat exercere (*a*) (4) quia, ſi ambo feudi curatores obierint, renovatio inveſtituræ indubie neceſſaria eſt, ergo pari jure, ubi unus eorum eſſe deſiit, cum idem jus ſit in parte quod in toto *per jura vulgaria.*

§. XIV.

At hæc tanti haud ſunt ponderis, ut non in aliam potiora argumenta nos deducant viam. Hoc unicum, & quidem principalius, ſuffecerit, quod cum ipſorum verborum proprietate quam per ſe in dubio, ubi ex mente agentium non alia impropria colligenda ſignificatio, aut verba veniunt improprianda, omnino ſervari convenit (*b*) ut bene correſpondeat voluntas contrahentium, reique veriſimilitudo & æquitas, quæ omnis non minus hic, atque in caſu ubi duobus fratribus conceſſa fuit emphyteuſis, ut poſt mortem illorum ſine liberis revertatur ad concedentem (*c*) ubi itidem libertus aſſi-

C gnatus

(*a*) *V. Mynſing.* cent. 1. obſ. 47. Ricc. coll. deciſ. 144. Mantic. de tacit. & ambig. convent. lib. 7. tit. 17. n. 1.

(*b*) *V. Richter* centur. regul. jur. reg. 43.

(*c*) *Guid.* de *Suzar.* de jur. emphyteut. num. 46.

gnatus fuit duobus, & unus horum, quibus aſſignatus eſt, defecit (a) aut ubi duobus de emphyteuſi inveſtitis conceſſa fuit eam in totum vel in partem alienandi facultas (b) unum finalem reſpicit effectum, unumque determinabile; qua ſtante cum verborum proprietate voluntatis contrahentium negotiique naturæ convenientia, qua illa in ſenſum a ſua proprietate, ab agentium mente, a veriſimilitudine & æquitate alienum detorquenda ſint, nulla apparet cauſa (c) neque igitur numerus pluralis, ſi in naturali ſua ſignificatione ab contrahentium mente conveniat pluribus, reſtringendus ſit ad unum. (d)

§. XV.

Quod enim verborum attinet proprietatem, prædictorum vocabulorum, AMBO DVO, VTERQVE, PLVRES, & ſi quæ alia ſint æquipollentia (e) ea eſt natura, ut regulariter ſint copulativa ſeu conjunctiva minimum duorum, ac requirant utriusque collecti concurſum, nec verificentur in uno: hoc quidem, adhibita voce, PLVRES, MVLTI, vel alia ſimili, ſatis conſtat luculenter. Neutra ea vox contenta eſt in uno, verum ſub numero plurium, utut aliqua nimiæ pluralitatis reſtri-

(a) *V.* l. 3. §. ult. l. 4. & 5. ff. de aſſignand. libert. *Sutzar.* d. num. 46.
(b) *Corbul.* de jure emphyteut. cap. 14. ampliat. 4.
(c) *V. Richter* d. loc.
(d) *V. Cardinal.* de *Luca* theatr. veritat. & juſtit. tom. 2. tit. de fidei comm. diſcurſ. 52. n. 3. *Gratian.* diſcept. forenſ. tom. 3. cap. 570 n. 35.
(e) V. *Gratian.* diſceptat. forenſ. tom 2. cap. 272. n. 27. & ſeq.

Digitized by Google

ſtrictionem ſuadeat cauſa, non parciores oportet eſſe quam duo, (*a*) ſub numero quoque MVLTORVM haud pauciores quam tres duoſve intelligi volunt communiter *arg L. 1. §. 29. ff. de SCto Silan. L. 40. §. 3 & L. 85. ff. de V. S. Goeddeus ad d. l. 85. de V. S. in fin. Barboſ. & Tabor. loc. commun. lib. 11. cap. 72. axiom. 2. Honded. vol. 1. conſil. 102. n. 71.* Num tamen ex iis textibus id evincatur, litem jam non facimus noſtram, quippe ſuffecerit nobis, etiam hanc appellationem involvere pluralitatem, neque abſolvi in unitate. Si nominatim exprimantur DVO, unitatis excluſionem ulterioribus quam circa principium hujus paragraphi modo allata ſunt, demonſtrare argumentis nulla quidem poſcit neceſſitas, (*b*) Pariter ſuper ſignificatione locutionis AMBO diutius haerendum non eſt (*c*) Imo & vox VTERQVE in ſua nativa ſignificatione conjunctiva eſt duorum, ac utriusque collecti requirit concurſum. (*d*)

(*a*) V. L. 12. ff. de Teſtib. L. 217. §. 1. ff. de. V. S. L. 192. & 232. eod. L. 17. §. ult. ff. de manumiſſ. teſtam. cap. 19. verſ. *ſi vero conceſſum* de præbent. & dignit. in 6to. cap. 40. de. R. I. in 6to ibique Peck. pr. & n. 1. add. Menoch. conſil. 404. n. 3. conſil. 686. n. 11. *Honded.* vol. 1. conſil. 110. n. 34.

(*b*) Vid. tamen L. 3. §. 13. verſ. *itaque qui hoc interdicto*, ff. de itin. actuque privat. ibique Gloſſ.

(*c*) *Vran.* tom. 1. conſil. 60. n. 13. *Honded.* vol. 1. conſil. 60. n. 20. 29 & ſeq.

(*d*) L. 81. §. 8. ff. de legat. 1.

§. XVI.

Congruam verborum proprietati contrahentium voluntatem, tanquam præcipuam, in qua tota res requieſcit columnam (*a*) prolixiori oporteret ſuffulcire deductione, ſi non hanc ex iis liceret colligere, quæ dicta ſunt ſuperius. Civitas quippe maluit de ſuo remittere immortalitatis jure, quam eidem pertinaciter inſiſtendo, omnem a ſe propulſare beneficentiam: voluit tamen perquam ſtudioſe, ut potius duorum feudi Curatorum, quam unius conſtitutione ſibi aliqua prae particularibus perſonis maneret prærogatiua, ac pro ceſſa immortalitate ſaltem longior vita & qualis compenſatio. Domino feudi tale inter unius hominis vitam & civitatis immortalitatem inventum temperamentum majoris viſum fuit commodi, quam in ſtatu civitatem linquere immortalitatis *vid. ſupra* §. *9. in fin.* §. *11. in fin.* & §. *12.*

§. XVII.

Propter hanc igitur voluntatis contrahentium cum verborum proprietate convenientiam eo magis propriæ verborum ſignificationi inhærendum eſt, neque oportet, nulla apparente contrariæ voluntatis cauſa, pluralitatem per impropriationem quandam reſolvi in ſingularitates (*b*) inprimis cum ex prædicta cauſa impulſiva conſtituendorum

(*a*) Cardinal. de *Luca* theatr. verit. & juſtit. tom. 2 tit de fideicomm. diſcurſ. 52. n. 7. verſ. Nihilominus &c. juncto ſupra §. 14.

(*b*) V. *Honded.* vol. 1. conſil. 60. n. 27. 28. 31. & ſeq. Everhard. loc. topic. a vi numeri n. 7. pr. & verſ. Hinc etiam eſt, quod ubi voluntas diſponentis.

Digitized by Google

endorum uno plurium feudi curatorum ſit plus quam veriſimile atque perſpicuum, contrahentes eam habere voluiſſe pluralitatem pro negotii forma, quo caſu eadem in ſingularitates haud eſt reſolubilis. (a) Et quemadmodum ad cujusque negotii interpretationem multum potens depromitur argumentum ex veriſimilitudine mentis contrahentium, (b) ita non infirmior argumentatio eſt, quod ea, quam curatorum feudi conſtitutioni contrahentes dare voluerunt, pluralitatis forma ex utraque parte juſtis & æquis nitatur rationibus, vel unice per ſui æquitatem impedientibus, quo minus iſta in ſingularitates reſolvi queat pluralitas (c) & quo magis inveſtituræ pactum ſit interpretandum ex æquo & bono, ac potius pro vaſallo contra dominum. (d)

§. XIIX.

Multum hanc ex proprietate verborum, eique congrua paciſcentium voluntate, veriſimilitudine & æquitate probatam ſententiam confirmat ipſius Civitatis conditio, ſtatus ac natura. Dum enim hæc quoad jura, quæ ipſam tanquam aliquod univerſum concernunt, ſit nomen juris, & habeatur tanquam una perſona, diviſionem non

C 3

(a) V. *Honded.* d. conſil. 60. n. 23. & ſeq. *Everhard.* d. n. 7. verſ. Et hinc eſt, quod ubi lex. verſ. Hinc etiam eſt quod ubi pluralitas.

(b) *Mantica* de tacit. & ambig. convent. lib. 1. tit. 17. n. 35. *Richter* cent. reg. jur. reg. 47.

(c) *Everhard* d. n. 7. verſ. ubi autem non reſultat.

(d) *Roſenthal.* de feud. c. 6. concluſ. 18. n. 2.

Digitized by Google

non recipiens (a) fieri non poteſt, ſi civitas uno plures in curationem feudi conſtituerit ſubſtitutos, qui civitatem repræſentent, ut hæc conſtitutio ac civitatis repræſentatio intelligatur pro diviſo: quia hoc ſenſu Civitas ratione juris ad totum ſuum corpus indiviſim pertinentis divideretur in duo plurave corpora, aut duas pluresve perſonas: Vt ergo hæc repræſentationis conſtitutio ſe habeat pro indiviſo neceſſum eſt.

§. XIX.

Aſt tunc, quemadmodum ipſa civitas in ſuis univerſitatis juribus in una adhuc conſervatur perſona *d. l. 7. quod cujusque Vniverſ. nom.* ita quoque in uno pluribus conſtituta durat repræſentatio, quamdiu vel unus eorum eſt ſuperſtes, ideoque feudi renovatione non eſt opus, donec non etiam in ſuperſtite caſus contigerit mortis. Et ſequeretur alias hoc inconveniens, quod novus, qui in locum unius prædefuncti ſubſtituendus eſſet, concurator, vel ſolus foret inveſtiendus, vel denuo ſecum ſuperſtes ex prioribus: Illud a tenore & intentione inveſtituræ, duas requirente perſonas, eſſet alienum, ac faceret dividi actum inveſtituræ individuum, qui taliter partim olim fuiſſet perfectum, ex parte vero fieret hodie. Poſterius a conſvetudinibus abhorreret feudalibus, eo nunquam tendentibus, ut, qui jam ante inveſtitura comprehenditur, rurſus ſit inveſtiendus *v. ſupr.* §. *9.* Semper autem, etiam cum verborum impropriatione & eo magis

(a) L. 7. ff. quod cujusque Vniverſit. nom. L. 22. ff. de fidejuſſor. add. ſupra §. 10. *Honded.* vol. 1. conſil. 17. n. 24. 25. conſil. 79. n. 26.

Digitized by Google

gis hic cum eorundem nativæ ſignificationis retentione; ea capienda interpretatio, quæ naturæ negotii potiſſimum convenit, quaque evitatur abſurdum, (a) neque pluralitatis in ſingularitatem reſolutio admittenda eſt, ſi inde reſultet iniquum, aut inconveniens (b) Quæ etiam, cum locum non habeat, ubi ſingularitatis non fuerit eadem ratio quæ pluralitatis, (c) merito hic reſpuitur, rationum diverſitate affatim ex iis apparente, quæ per totam hanc demonſtrata ſunt disquiſitionem.

§. XX.

Cæterum pro depellendis circa pluralitatis in ſingularitates reſolutionem occurrentibus dubiis nullum nunc in diſtinctione inter contractus & ultimas voluntates quærimus refugium, quaſi non in illis, ſed tantummodo in his, pluralitatis procederet in ſingularitatem reſolutio (d) cum ea diſtinctio exinde, quod tam in contractibus, quam ultimis voluntatibus potiſſimum ad mentem reſpiciendum ſit agentium, parum habere videatur firmitatis, & non minus aliquando in contractibus, atque in ultimis voluntatibus, locum inveniat pluralitatis in ſingularitates reſo-

(a) V. *Mantica* de tacit. & ambig. convent. lib. 1. tit. 17. n. 1. &. 11. *Richter* cent. regul. jur. reg. 1. n. 5. 14. & reg. 43. n. 35.

(b) *Everhard.* d. n. 7. pr.

(c) *Peck.* ad c. 40. de R. I. in 6to. n. 6.

(d) V. *Cardinal. de Luca* theatr. verit. & juſtit. tom. 5. tit. de *feud.* diſcurſ. 41. num. 3.

Digitized by Google

reſolutio (*a*) utut forſan non diffitendum ſit, facilius & ſæpius eam reſolutionem contingere poſſe in ultimis voluntatibus, quam in negotiis bilateralibus, quæ nonnunquam conjecturas voluntatis contrahentium reſpuunt, & in dubio contra eum admittunt interpretationem, qui legem contractui dicere potuit apertius, & id facere omiſit, adeoque hujus omiſſionis culpam ſibi habet imputandam. Quamvis etiam pro diluendis iis, quas circa reſolutionem pluralitatis in ſingularitates occurrere diximus dubiis, multum tribuamus tribus iſtis capitibus, quibus, ſervata inter ipſam diſpoſitionem & diſpoſitionis conditionem, nec non hujus utriusque expreſſionem diſtinctione, pro caſuum diverſitate omnem hanc rem abſolvi autumat Pacius, (*b*) malumus tamen earum diverſarum regularum rationes ac fundamenta quærere in cauſa proxima & adæquata, nimirum in ipſa diſponentium voluntate, quam in nudo voluntatem exprimendi modo, qui ſane nobis ſimpliciter eſt indifferens, ſi de ipſa ſatis exacte conſtet diſponentium voluntate, cum tacita aliterve quam expreſſis verbis declarata & ex veriſimilibus conjecturis præſumpta voluntas æque ſit voluntas, ejusdemque efficaciæ, atque etiam illa, quæ perſpicuis verbis definite & nominatim fuit enunciata; Imo id quoque habeatur & dicatur expreſſum eſſe, quod ſtante rationis identitate, neque refragante, ſed potius exigente natura negotii, ex interpretatione juris, probabilibus conjecturis ac men-

(*a*) V. *Card. de Luca* d. n. 3. verſ. pro actore autem &c. *Gratian.* diſcept. forenſ. tom. 2. cap. 272. n. 18. add. ſupra §. 14. & 16. in. pr.

(*b*) centur 8. Enantiophan. quæſt. 14.

Digitized by Google

ac mente conjecturata colligitur, neque per aliam fortiorem debilitatur præſumptionem (a)

§. XXI.

Pace igitur illuſtris viri liceat regulas aucto ſatis ingenio e jurisprudentiæ fontibus erutas, ſaltem quadantenus declarare, magisque duntaxat aperte dicere, quod ſub iisdem eſt jam ante comprehenſum. Primum ille ponit caſum, quando tam conditio quam diſpoſitio concipiuntur ſimpliciter, veluti ſi teſtator diceret, Stichum & Pamphilum, ſi mei erunt cum moriar, Titio do lego: Hoc caſu pluralitatem in ſingularitatem reſolvi, ac diſpoſitionem de multis caſibus conceptam vel in uno effectum habere poſſe demonſtrat per *l. 33. §. ult. ff. de condit. & demonſtr. l. 78. §. 7. ff. ad SCtum Trebell.* Nolumus provocare, ſi quis extiterit, Pacii propugnatorem, rejiciendo ab hac regula *d. l. 33. §. ult.* quaſi in eo caſu pluralitas neutiquam reſolvatur in ſingularitatem, ſed potius tanquam intelligatur in ſenſu collectivo, adhuc conſervetur in uno atque ſi ſeparatim de una perſona diſpoſitio fuiſſet concepta. Lubentes potius agnoſcimus tam hic quam in plane ſimili caſu *L. 29. §. ult. ff. de legat. 3.* pluralitatem reſolvi in ſingularitatem, quia ita voluntas exigit diſponentis, neque refragatur natura negotii, eademque in ſingularitate, quæ in pluralitate, militat ratio. Equidem teſtator adjectione conditionis non tam de pluri-

D um

(a) *Honded.* vol. 2 conſil. 40. n. 4. 36. 37. conſil. 46. n. 10. 11. *Finckeltbauſ.* obſerv. 120. n. 4. & ſeq. *Paurmeiſt.* de jurisdict. imper. l. 2. c. 6. n. 222 223. 230. c. 8. n. 50. *Kellenbenz.* de renunciat. ſucceſſ. quæſt. 19. n. 14.

Digitized by Google

um rerum legatarum conjunctione meditatus eſt, quam ſaltem ſuperfluæ cautelæ gratia de reſervatione liberæ facultatis mutandi voluntatem. Quam ſi mutaverit in una duntaxat ex pluribus legata re, hanc alienando, eoque legatum adimendo, quidni non alteram rem legatam quæ haud individua eſt, ſed propriam ac ſeparatam habet ſubſtantiam, eum ſervare legatario voluiſſe credendum foret, qui utramque in eum caſum, ubi non alienaſſet, eidem addixerat, ut ex veriſimili teſtatoris voluntate & qualitate rerum legatarum merito trita inveniat locum juris regula, quod in majori inſit minus. (a)

§. XXII.

Eædem circumſtantiæ voluntatis teſtatoris rationisque in hæreditatis parte, ac in ea tota identitatis comitantur caſum, ubi plures hæredes inſtituti poſt ſuam mortem reſtituere, hæreditatem jubentur ſubſtituto fideicommiſſario, ideoque uno eorum defuncto ſtatim pro ea rata peti poterit fideicommiſſum nec eo usque, donec & reliqui deceſſerint hæredes, petitionem quieſcere neceſſum eſt. (b)

§. XXIII.

Eo quoque referendus eſt caſus, quando quis filio & filia hæredibus inſtitutis, duobus libertis reliquit legata ut haberent ad vitam usque, poſt mortem vero ea reſtituerentur hæredibus, quod tunc, poſt unius hæredis diſceſſum uno prædefuncto liberto portio legati veniat reſtitu-

(a) v. L. 10. pr. ff. de R. I. L. 1. §. 4. ff. de V. O.

(b) L. 78. §. 7. ff. ad SCtum *Trebell.*

ſtituenda. (*a*) Teſtator enim libertorum perſonis proſpicere voluit duntaxat ad vitam usque, quæ voluntatis ratio cum æque militet in parte legati ubi unus legatariorum deceſſerit, quam in toto, ſi ambo fuiſſent defuncti, haud inconcinna videri poteſt diſtributiva pluralitatis, utut impropria, ſingnificatio, ejusdemque in ſingularitates reſolutio.

§. XXIV.

Porro ex iisdem rationibus voluntatis diſponentium & identitatis in ſingularitate ac in pluralitate, huc pertinent caſus in *L. 29. ff. de hæred. inſt. L. ult. §. 3. ff. de Legat. 2. L. 4. C. de impub. & alior. ſubſtitut. L. 8. §. 3. ff. de pignorat. act.* (*b*)

§. XXV.

Quemadmodum vero ex hiſce argumentis nil aliud potuit deduci, quam quod in caſu, ubi tam conditio quam diſpoſitio profertur ſimpliciter, pluralitas contra verbi proprietatem ſit in ſingularitates reſolubilis, ſcilicet ſi voluntas agentium aliæque circumſtantiæ ita ſvadeant aut exigant, ita quoque prælaudatus Pacius eam regulam concepit duntaxat de poſſibilitate, neque voluit, ut ubique & ſemper, quando diſpoſitionis & conditionis ſermo ſimpliciter prolatus, ſtatuenda ſit pluralitatis in ſingularitatem reſolutio.

D 2 §. XXVI.

(*a*) L. ult. §. penult. ff. de Legat. 2.

(*b*) Item apud *Menoch.* conſil 995. n. 8. & ſeq. *Fachin* controverſ. lib. 4. c. 72. verſ. *altera eſt ſententia* verſ. fundamentum eſt.

§. XXVI.

Sane foret abſonum, utut pluralitatis in diſpoſitione ejusve conditione enunciatio haberet ſe ſimpliciter, a propria verborum ſignificatione recedere tunc, quando nulla hoc poſceret cauſa aut plane aliqua proprietatem verborum magis confirmans ratio ſvaderet, ut propria potius ſermonis ſignificatio tenenda ſit *v. ſupra* §. *14. &* §. *17. in pr.*

§. XXVII.

Sic, non attenta ſimplici inſtitutionis & ſubſtitutionis enunciatione, pluralitas non reſolvitur in ſingularitatem in caſu *l. 30. ff. de vulg & pupill. ſubſtitut.* eo, quod non quidem aliqua expreſſa, talis tamen æquipollens reperiatur adjectio, ex qua non obſcure teſtantis colligi poſſit voluntas conjunctivæ ſignificationis *d. l. 30. verſ. idque apparere* ibique *Gloſſ.* Similiter, utut ſtipulatio & pluralitatis conditio ſimpliciter proferatur in *l. 129. ff de V. O.* nulla alia apparente ſtipulantium mente, verborum ſervatur proprietas, ac ſtipulatio non habet effectum niſi conditio in utroque membro fuit impleta.

§. XXIIX.

Quidni ergo in noſtro caſu, quantumvis conſtitutio duorum vel plurium feudi curatorum eſſet facta ſimpliciter, non veniet abjicienda pluralitatis in ſingularitatem reſolutio, cum verborum proprietatem comitetur contrahentium intentio & æquitas negotiique natura, nec non rationis in ſingularitate diverſitas, velut *ſuperius* abunde dedimus probatum §. *15.*

§. XXIX.

§. XXIX.

Secunda, quam Pacius ſuppeditat, regula eo collimat, ſi diſpoſitio concipiatur ſimpliciter, in conditione vero adjiciatur aliqua nota conjunctiva *v. gr. Ambo, Vterque &c.* quod tunc pluralitas non reſolvatur in ſingularitatem, ſed requiratur, ſi effectum ſortiri debeat diſpoſitio, conditionis in omni parte implementum *arg. L. 42. ff. de vulgar. & pupillar. ſubſtitut. L. 10. C. de impuber. & al. ſubſtitut.* Hæc regula, cum ex tali adjectione de conformi verborum proprietati agentium voluntate quodammodo expreſſius & nominatim conſtet, nullis obnoxia videtur objectionibus nec eget ulteriori explanatione, niſi ex prioris regulæ declaratione hanc velis ampliare, ut quoque obtineat, ſi aliunde, quam ex tali adjectione atque ſic etiam in oratione ſimplici, voluntas conjunctivæ ſignificationis queat colligi.

§. XXX.

Tertia Pacii regula exhibet caſum, quando non ſolum in conditione ejusmodi conjunctiva adjicitur nota verum etiam in diſpoſitione aliqua vocula, quæ univerſitatem indigitet objecti, veluti ſi uterque filius meus ſine Liberis deceſſerit omnem meam hæreditatem ad neptem meam pervenire volo. Et tunc, quemadmodum teſtator vult ſubſtitutam habere totam hæreditatem utroque moriente filio, ita cenſetur velle, ut habeat portionem unius ſi in uno extiterit conditio, atque ſic in hoc caſu, ſecundum voluntatem teſtato-

 ſtato-

Digitized by Google

ſtatoris ex adjectis notis recte collectam pluralitatem ubique & ſemper ac præciſe reſolvi oportet in ſingularitates *arg. l. 57. §. 1. ff. ad SCtum Trebell.* Cum vero & hic propter expreſſam in adjectis notis ſignificantibus diſponentis voluntatem evitandæque abſurditatis rationem (*a*) nihil occurrat dubitationis, ſuffecerit ex his deductis ſaltem argumenti tetigiſſe irrelevantiam, quod primo loco pro ſententia contraria §. 13. fuit productum.

§. XXXI.

Alterum, quod ibidem in contrarium prolatum eſt, argumentum facile cadit, & potius in noſtram circumagitur ſententiam, ſi dixeris, vaſallum hic non repræſentari per quemlibet ex pluribus curatorem diſtributive, ſed collective & conjunctim per omnes, velut *ſuperius a* §. 14. *usque ad* §. 20. ſolidis expoſitum eſt fundamentis. Similiter tertia pro contraria opinione ſuppoſita ratio, per eam quæ inter ſimplicem procuratorem noſtrumque feudi curatorem ac ſubſtitutum jam *ſupra* §. 4. & 5. commonſtrata fuit, differentiam, penitus profligata eſt.

§. XXXII.

In eo tamen quod primum contrarium argumentum non erimus difficiles, ſi in conſtitutione plurium feudi curatorum expreſſe inter contrahentes eſſet actum, ut uno eorum defuncto renovationem petere oporteret inveſtituræ, quod tunc ſtandum ſit pacto (*b*) *arg. L. 35. pr. ff.*

(*a*) d. §. 1. verb. abſurdum eſſe reſpondi. *Everh.* d. n. 7. pr.

(*b*) Mantic. de tacit. & ambig. convent. lib. 22. tit. 34. num. 24. Porro ſicut &c.

pr. ff. de R. I pro quali pacto etiam habendum, ſi talis paciſcentium voluntas ex verbis æquipollentibus aut aliunde queat colligi, ſecundum traditas §. *21. 22 23. 24. 30.* regulas *add. ſupra* §. *20. fin.*

§. XXXIII.

Quorſum vero neutiquam referendum, ſi in inveſtituræ pacto, ſubſtitutionem feudi curatorum reſpiciente, a domino in ſuperiori dignitatis gradu conſtituto erga inferiorem adhibita fuiſſent verba gratiæ, quaſi tunc dominus in conſtitutionem plurium feudi curatorum per meram gratiam, atque ſic non in forma extenſiva, ſeu ſignificatione bonjunctiva, ſed ſaltem eo conſenſiſſe videatur modo, atque ſi curator feudi conſtitutus fuiſſet duntaxat unus. Sane exinde, quod. Imperator Ferdinandus II. Illuſtri Principum Anhaltinorum familiæ hanc fecerit gratiam, ut feuda Imperialia nomine omnium per ſeniorem familiæ liceret recognoſcere, in verbis conceſſionis de ann. 1635. So haben wir denſelben aus Kayſerlicher Hoheit, Macht und Gewalt ſtatt gethan, und ihnen die Käyſerliche Gnade bezeiget, daß von nun an zu allen künfftigen Zeiten, der ältiſte Fürſt zu Anhalt der allgemeinen Lehenträger ſein und bleiben ꝛc. Die Lehen nicht ehender geſucht werden ſollen, es habe ſich dann eine Veränderung an des Lehen-Herrn als des Römiſchen Käyſers oder des allgemeinen Lehenträgers Perſohn begeben, &c. hanc argumentationem colligit (a) *Itter. tr. de feud. Imp. cap. 11.* §. *2.* quod ejus-

(*a*) *Meichsner.* lib. 1. deciſ. 47. n. 4. pr.

ejusmodi conſtitutio ſenioris familiæ non ubique grata ferenda ſit cuidam per Germaniam, quam alii profitentur, generali conſvetudini, verum quandoque habeatur peculiaris beneficii & gratiæ Imperialis nota. Et quidem facillime concedimus illationem, non omnem ſenioris conſtitutionem ſuam cauſam proximam debere tali Germaniæ conſvetudini, ſed vero conceſſio hoc nomine Anhaltinæ facta familiæ, magis in vim pacti intelligenda eſt, quam Imperialis gratiæ, ceu quæ in dubio, maxime quidem in tali negotio, quod feudo jam ſemel conſtituto propter rationabilem & in conſvetudinibus feudalibus fundatam cauſam potius per viam pacti, quam gratiæ conſvevit expediri, haud queat præſumi Atque ſic vel hinc elucet, verba, die Gnade bezeiget, non ubique eſſe diſpoſitiva, ſed nonnunquam enunciativa, talemque formulam loquendi in pacti Principum cum inferioribus uſitatam, etiamſi nil concedatur aliud, quam de quo noviter transactum eſt, quodque ideo, an Principis ante fuerit, & per gratiam concedi potuerit, penitus fuit incertum. (a) Imo ex more Principibus uſitato talia GRATIÆ apponuntur verba in contractibus, aliisve negotiis etiam tunc, quando concedunt id, quod alii tribuere ex pacto, vel alio jure jam ante erant obligati, & fere ſemper, quando juſta tribuunt, id quoque pro gratia volunt reputari, ſuasque etiam preces habe-

(a) v. *Gylman*. ſymphor. ſupplic. part. 1. tit. 2. de reconvent. n. 88. verſ. Deinde maximum etiam fundamentum.

haberi pro imperio. Certe Principes Anhaltini, volentes cum Imperatore, tanquam domino feudi, convenire de conſtituendo ſeniore familiæ, qui nomine omnium recognoſceret feuda Imperialia nil petierunt, nil etiam Imperator conceſſit, quam quod ſtipulari & promittere fuit rationabile, & tam Logobardorum quam Germanorum conſvetudinibus feudalibus ſummopere conveniens. *v. ſupra* §. *8. & 9. Iter. d. loc.* quæque ideo Imperialis gratia, ſi in re concedi ſolita non fuiſſet conceſſa, redoleviſſet injuriam. (*a*) Proinde nequicquam plurium feudi curatorum collectivam conſtitutionem, ſi hæc de cætero ſatis fundata ſit, ſola gratiæ infringit mentio, niſi ultra hanc nudam enunciationem aliqua diſpoſitiva verba conceſſionem in eum reſtringant ſenſum. Potius & hic communibus locus erit relinquendus paroëmiis; Ea ſolum promiſſa admittenda ſunt quæ ſic dicuntur ut præſtentur, non ut jactentur (*b*) curialis ſermo non inducit obligationem: verba honoris cauſa prolata haud inducere diſpoſitionem, nec venire in contentionem: ac forſan bene huc quadrat illud Monzambani de ſtat. imp. Germ. *c. 6. §. 6. ubi circa finem ait:* inania titulorum (puta quod imperator ab ordi-

E

(*a*) *Gloſſ.* in l. 1. §. penult. ff. de aqu. quotid. *Gabriel* lib. 3. concluſ. 1. num. 2.

(*b*) v. l. 19. §. 3. ff. de. ædil. edict.

ordinibus nuncupetur Clementiſſimus &c.) genium ſeculi ſtylumque curiæ produxiſſe, non plus fere efficaciæ habentia, quam alia verba honoris. &c.

§. XXXIV.

Epilogum ſuggerit conſilium, ut omnis dubitationis tollendæ cauſa Civitates ſibi per adjectionem ſpecialis proſpiciant cautelæ in eam rem ſat perſpicue expreſſæ, ſi tamen non aliquando, ubi dominum in in paciscendo difficiliorem fore metus eſt, conſultius judicaverint, in ſimplici plurium curatorum conſtitutione acquieſcere, remque in eventum controverſiæ committere ſeniori, ſecundum monſtrata principia, expoſitioni, cui inſuper non leve ferret adminiculum, ſi non abſimilis in aliis ejusdem generis feudis poſſet allegari obſervantia & conſuetudo, maxime quidem ejusdem aut vicinæ regionis. Sane inter Sereniſſimam Domum Brunſvicenſem & Lüneburgenſem, civitatemque Brunſvigam, cum per tranſactionem de anno 1569. eidem civitati in feudum nonnulli concederentur pagi, ſeu diſtrictus jurisdictionales, nomine Eich- und Wendhauſen, ſimul ſpeciali pactione proviſum fuit, ut e Conſulibus Civitatis duo aonſtituerentur feudi curatores, qui caſibus contingentibus debito id recognoſcerent modo, caſu quidem, ubi per ſuam curatorum contigerit mortem, taliter intelligendo, ſi ambo vita fuerint functi,

ve-

Digitized by Google

velut ex ſubnexis patet transactionis articulis, qui ſic habent: Dargegen wollen &c. und dieſer geſtalt ein antworten und übergeben, daß der Rath zu Braunſchweig zweyen ihrer Burgermeiſter nahmhafft machen, die zu ihrem des Raths und gemeiner Stadt Braunſchweig behuf, die obbemelte beyde Gerichte Eich- und Wendhauſen, mit aller ihrer Gerechtigkeit und Zubehörungen, als ohne berührt, von Hochermelten Unſerem gnädigen Fürſten und Herrn aus Gnaden zu Erbmans-Lehen empfangen ſollen.

Und wann die beyde Bürgermeiſtere, das GOtt der allmächtige mit Gnaden friſten wolle, mit Todt verfallen und abgangen, ſoll der Rath zu Braunſchweig an deren ſtatt zween andere ihre Burgermeiſtere, als Lehenträger, von ihrent- und gemeiner Stadt Braunſchweig wegen, die vorbenamte beyde Gerichte, von Hochermelten unſerem gnädigen Fürſten und Herrn oder S. F. G. Erben und Erbnehmen zu Erbmann-Lehen empfangen und alſo für und für zu ewigen Zeiten wiederum ernennen und angeben.

Und ſo offt hernachmahls der ältiſte regierende Landes-Fürſt dieſes Fürſtenthumbs (dehn GOtt der Allmächtige mit Gnaden auch friſten wolle:) Von dieſer Welt abgehen und verfallen würde, ſoll der äl-

t'ſte nachkommende regierender Lands-Fürſt mit den vorberührten zweyen Gerichten Eich- und Wendhauſen, die benamte zweye Burgermeiſtere zu behuf des Raths und gemeiner Stadt Braunſchweig, und den Tag, den S. F. G. Ihnen zu einem Lehens-Tag ernennen und anſetzen, aus Gnaden wiederum belehnen.

Wann aber die beyde Bürgermeiſtere, als Lehen-Träger, nach göttlichen Willen verſterben und alsdann an ihrer ſtatt zween andere Burgermeiſtere zu Lehen-Träger wiederumb ſpecificirt und nahmhafft gemacht worden, ſollen dieſelbige bey dem älteſten ihrem gnädigen regierenden Lands-Fürſten, in Jahr und Tage die Lehen gebührlicher weiſe in Unterthänigkeit ſeinen und alsdann, wann Ihnen der Lehens-Tag beſtimmet würde, die obbenannte Beyde Gerichte, inmaſſen oben berührt, gegen Entrichtung zwantzig Goldgulden den Cämmerling und zu Schreib-Geld vor den Fürſtlichen Lehen-Brieff in die Fürſtl. Cantzley zu geben, zu Erbmannlehen wiederumb empfahen, dagegen auch ſie die Lehenträger im Nahmen ermeltes Raths und gemeiner Stadt Braunſchweig dem Lehens-Fürſten, gleich andern Lehen-Leuten, gewöhnliche Lehens-Pflicht thun ſollen,

Digitized by Google

len, jedoch dem Eyd unſchädlich, damit ſie vorhin dem Rathe und gemeiner Stadt Braunſchweig verpflichtet und verwand ſeyn &c.

Coronidem diſſertationi imponimus Deo ter optimo maximoque agendo gratias pro omni noſtrorum ſtudiorum benedictione, adorandoque eum humillime, ut ulteriora cuncta benigniſſime velit lagiri, quibus bonarum artium promoveri queat cultus!

FINIS.

A 2.1147 0427

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google